

8

B. C. D.
 HEPTAS
 QVÆSTIONUM
 EX
 THEOLOGIA
 NATURALI
 SELECTARUM,

Quam
 Benignissimo Ordinis Philosophici
 indultu

ad diem 30. Decemb. M. DC. XCIX.

SUB PRÆSIDIO

M. CHRISTIANI REINECCII,

publicæ placidæque disquisitioni
 exponit

AUCTOR-RESPONDENS

JOHANNES BAUMART, Vrat. Siles.

SS. THEOL. CULTOR.

LIPSIAE,


Literis Immanuelis Titii.

a. XCIV. 55.

~~27~~

coll. diss. A
 4, 55





Proloquium Præfidis.



X Theologia Naturali disputaturi, mox animadvertimus, Argumentum hoc nimium ab aliis extolli & deprimi ab aliis; ita ut hi omnem prorsus ex Natura Dei cognitionem negent; aut falsa omnia, quæ Natura lumen suggerit, imprudenter dicant, vel si aliquam admittunt naturalem DEI notitiam, ea tamen propter negligant, quod clarius habeamus lumen Scripturæ, & Theologia Naturalis apud nullas gentes quippe idololatræ cultui indulgentes reperiatur incontaminata. Alii vero Theologiam Naturalem adeo extollunt, ut nec claritate, nec sublimitate, nec utilitate multum cedat Theologia Revelatæ. De claritate loquantur, qui adeo perfectam, claram & distinctam DEI sibi imaginantur imaginem, ut vix quicquam supra habeatur per Revelationem; de sublimitate sententiam dicant, qui ipsum Mysterium SS. Trinitatis ex Lumine Naturæ haberi posse propugnant; de utilitate


audiantur, qui sufficiens ad salutem Naturæ Lumen constanter adferunt. Sed media est regia qua hic eundem via est. Sicuti enim firmis rationibus ista Naturalis DEI cognitio demonstratur: ita ultro fateri oportet quemque, si cum Scripturæ Lumine Naturæ Lumen comparetur, haut aliam esse quam candela cum solis luce comparationem. Non tamen inde, quod natura suggerit, falsum evadit. Sive enim corpus intuear ad solis sive ad candela lucem, idem verumq; manet corpus, etsi plus sol detegat quàm candela, & contemplantem certiore reddat. Neq; unquam Gentiles etiam sagacissimi ex Natura Mysterium SS. Trinitatis habuerunt cognitum, sed si quid ipsis innotuit, ex commercio cum Judæis & Christianis factum est, V. Voigtius de Trin. p. 18. quanquam quæ de hoc mysterio ex Platone, Plotino aliisq; afferuntur obscurissima sint, V. Zimmermannus Anal. p. 76. Dn. M. Rothius disp. pec. Dn. Feustkingius disp. pec. Ut frustra post Scholasticos quosdam, nec non Keckermannum & Mornæum, hodierni nonnulli in argumentis ex Natura pro SS. Trinitate desumendis vel desumptis excusandis laborent. Haut quoq; felicius hodie Chawinus in Tr. de Religione Naturali l. 1. c. 8. & in Declaratione contra Vrignyum scripta, sententiam, quod Gentes per Ductum Luminis Naturæ salvari possint, persecutus est, quam allegati ante Chawinum hujus sententiæ Auctores apud Quenstedtium syst. p. 261. Conf. Cl. Buddeum disp. pec. & qui prolixius hoc negotium tractant Theologos passim. Ne contestemur sed detestemur quoq; Fidem Virginis prophetissæ in Specie Facti S. 32. deprecemurque affectum; nec moremur & illum, qui

qui certis quibusdam thesibus non adeo pridem huic hypothese
 succurrere visus est. Sed habeat & vivat cum illa! Non ta-
 men propterea, quod Salus in Theologia Naturali non obtinea-
 tur, longeque clarius Scripturae Lumen sit, prorsus negligendam
 esse illam consequitur, non enim ob majus beneficium minus
 statim abjici solet. Et si istae insitae notitiae sunt ipsius imagi-
 nis Divinae reliquiae, quis Dives ingenti auri copia amissa, pro-
 jicit quoque residuas sibi opes; sed esse accurate loquendo il-
 las imaginis Div. reliquias non sustinemus. Quid si etiam
 pleraque Gentes has negligant insitas notitias? Equidem fa-
 tendum est, quod Theologia Naturalis, qualis apud Gentes esse
 possit, forte non reperiatur, sed variis praedjudiciis contaminata
 deprehendatur, patriisque moribus atque erroribus, qui quam
 tenaciter inhaereant, vel pateat ex his, quae apud Th. Abuca-
 ram p. 480. ed. Gretseri, Saracenus ad Christiani verba: omit-
 te dicere Mahometem à DEO esse missum; respondet:
 ἔχι. ἀλλ' ὡς μαρτυρεῖ ὁ πατήρ μου, μαρτυρῶ καὶ γὰρ.
 Non: sed quod testatur Pater meus, testor & ego. Quo
 quoque pertinet quod in Tartaria peregrinanti R. Petachia, ad
 questionem: למר אינכם מאמיני ברברי חכמי. .
 cur fidem non adhibetis iis, quae à sapientibus fuere tra-
 dita? responsum fuit: Quia שלם למרום אבותינו
 Parentes nostri illa neutiquam nos edocuerunt. In Iti-
 nerario R. Petachia à Wagenseilio ed. p. 170. exerc. Quae cum
 quam maximè apud Gentes eveniant, an propterea & ipsi in-

super habebimus Naturæ bona? ne dicam quod apud quasvis Gentes multa reperiantur Theologiæ Naturalis documenta. Anne igitur Philosophus aurifabri potius operam imitabitur, qui quovis loco aurum repertum tollit politque, scorias removet retinetque aurum & æstimat. Sileo quod jucundum quoque ex Theologia Naturali sit argumentum V. Raynaudus T. 5. op. p. 2. Unde placuit Nob. Dn. Respondenti aliquas ex Theologia Naturali proponere quæstiones, exiguum autem, quod huic operæ destinaverat tempus, fecit, ut meis quoque nonnunquam uteretur schedulis, in iis quæ jam evolvere non permittebat ipsi tempus. Numen verò ter Optimum Maximum nostris conatibus faveat, inque Nominis sui Divini gloriam dirigat omnia.



SYL-



SYLLABUS QUÆSTIONUM.

- | | |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>I. <i>An Theologia Naturalis habitus sit Theoreticus an Practicus?</i></p> <p>II. <i>An Philosophus pro confirmandis suis conclusionibus licite quandoq; possit adhibere dicta S. Scriptura?</i></p> <p>III. <i>An Theologia Naturalis & Revelata inter se pugnent, ita ut quod in hac est verum, in</i></p> | <p><i>illa falsum sit, vel contra?</i></p> <p>IV. <i>An Dei existentia ex Lumine natura demonstrari possit?</i></p> <p>V. <i>An propositio: Deus existit, sit propositio per se nota?</i></p> <p>VI. <i>Quisnam primus proprius & contrahens Summi Numinis conceptus sit?</i></p> <p>VII. <i>An ex Natura certum sit Deum esse unum?</i></p> |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

QUÆSTIO I.

An Theologia naturalis habitus sit Theoreticus, an Practicus?



Quidem in scholis hactenus haut ferè dubium fuit ullum, quin Theologia Naturalis annumeranda sit disciplinis Theoreticis, adeo, ut hoc per se notum videatur *Raynaudo*, (a) imo absurdum adeo dicatur *Cano*: (b) notitiam naturalem statui practicam; ut refelli non debeat. Unde etiam *Cl. Röttenbeccius* (c) ægrius in contrariam sententiam abituros esse illos scribit, qui theoreticis scientiis eam accenseri, longo jam tempore, vel audiverunt, vel ipsi per rationem, ab autoritate petitam, connumerare consueverunt. Quos tamen, si remoto præjudiciorum velo, ac liberiori paulo iudicio rem expendere cuperent, inter practicas eam potius non

A illi-

(a) Tom. 5. oper. p. 6. (b) 12. de locis, c. 2. apud *Raynaudum* l. c. (c) *Disp. de vulgari scientiarum divisione in theoreticas & practicas*, c. 3. §. 13.

illibenter relaturos, arbitratur. Et sanè rationes, quæ theoreticam esse Theologiam naturalem evincere debent, admodum sunt infirmæ apud *Raj. laudum*, aliosque. Ut non dubitemus, eorum accedere sententiæ, qui Theologiam Nat. propugnant esse disciplinam practicam. Et omnino hîc adscribi merentur verba *Joh. Musæi*: si Theologiæ Naturalis non est agere de DEO, ut hominis fine, & bono Summo, cujus scientiæ philosophicæ tandem hæc tractatio erit? Deinde si Theologiæ Naturali, convenit agere de DEO, ratione essentiæ, & perfectionum essentialium, cur non etiam ei conveniat de eodem agere, ut hominis fine & Summo Bono? Neque enim DEI essentiæ, & perfectiones essentialiales ita absolutè explicari, & cognosci possunt, quin simul in iis ratio Summi Boni, cujus appetitus naturâ homini implantatus est, quoad rem explicetur, & cognoscatur: cum quod in DEO continetur, hominis Bonum Summum, in ejus essentiæ, & perfectionibus consistat. Et iterum p. 22. Ea parte, inquit, quæ est de mediis consequendæ in DEO beatitudinis, Theologia Naturalis, citra dubium practica est. Occupatur enim in conclusionibus, quæ rectum DEI cultum præscribunt, ex perfectionibus divinis cognitis, deducendis, quæ ut formaliter practicæ sive operationis alicujus directivæ sunt, ita & Theologia Naturalis, hæc quidem parte, scientia formaliter practica est. Eo ipso enim quod ejus conclusiones formaliter practicæ sunt, & voluntatem & praxin sive operationem dirigunt, non sistit ipsa in cognitione veritatis nuda, sed tendit ad praxin per illas ipsas, quas infert, conclusiones practicas. Priori autem parte, quâ occupatur in consideratione divinæ essentiæ & perfectionum DEI essentialium, eadem formaliter practica non est, sed speculativa. Conclusiones enim, quibus DEI perfectiones ex rebus creatis inferuntur, formaliter speculativæ sunt, non practicæ. Nihil enim agendum, omittendumque præscribunt. Quâ parte Theologiam Naturalem, quis forte in scientiis speculativis numeraverit, totaliter verò sumtam partim speculativam, partim practicam dixerit, eum in modum, quo Theologiam Revelatam Thomas in p. 1. q. 1. a. IV. partim speculativam, partim practicam dixit, quod partim de DEO partim de actibus humanis agat. Nos accensemus eam scientiis simpliciter practicis. Ratio nostra est: quia ea etiam parte, quâ de DEO ejusque perfectionibus essentialibus agit, non sistit in nuda veritatis cognitione, sed quæcunque ibi tradit,

trans-

(d) In introduct. ad Theologiam, p. 24.

„ transfert postea ad inferendas conclusiones practicas, rectum DEI
 „ cultum præscribentes, atque adeo eâ etiam parte, quæ de DEO est, ali-
 „ quo modo practica est, virtualiter scilicet. Ad scientiam verò, ut sim-
 „ pliciter practica dicatur, sufficit, quod non in nudâ veritatis cognitio-
 „ ne sistat, sed ulterius ad praxin sive operationem tendat, licet non
 „ omnes ejus conclusiones formaliter practicae sint, modo quæ formali-
 „ ter practicae non sunt, in eadem scientia ad alias formaliter practicas
 „ conclusiones inferendas adhibeantur, & sic mediatè saltem, medianti-
 „ bus scilicet aliis, quas inferunt, conclusionibus, ad praxin transferan-
 „ tur. Cum quibus ex asse conveniunt, quos quoque in hanc senten-
 „ tiam *Rötenbeccius* (e) laudavit, *D. Baierus*, (f) & *D. Job. Andr. Schmi-*
dius, (g) aliique.

(e) l. c. (f) in *Compend. Theol. Positiv.* p. 9. (g) in *Theol. Positiv.*
 p. 19.

QUÆSTIO II.

*An Philosophus pro confirmandis suis conclusionibus, licitè quandoq;
 possit adhibere dicta Scriptura?*

Hoc, si fiat, in conclusionibus, quæ ex naturâ notæ sunt, (alia
 ratio est de conclusionibus puræ revelationis & fidei, quibus inimi-
 scere se Philosophus non debet.) e. g. de DEO, Angelis, Anima, &c.
 affirmare quæstionem non dubitamus. Quod si enim Scriptura Sacra
 est officina sicuti *Basilio* (a) appellatur & armamentarium commune
 omnibus (b): Ex eâ etiam Philosophus sine vitio *μετὰ βάσεως ἢς ἄλλο*
γένος (c) sumere poterit, quæcunque reperiuntur theses sibi cum
 Theologiâ communes, nec non hypotheses suarum thesium (d).
 Idque justè, pro fine Sacræ Scripturæ, qui *Calovio* (e) assignatur du-
 plex, *ultimus* æterna Salus, & *intermedius* vera intellectus informa-
 tio, quæ facit, *vel ad sapientiæ cælestis, & supernaturalis cognitio-*
nem, qua extra revelationem divinam constare nequit, vel ad per-
fectionem & certitudinem sapientiæ humanæ & naturalis, ubi non
pauca sunt divinitus revelata, quæ, cum naturali quoq; cognitione no-

A 2

bis

(a) *Præf. ad com. in Psalm.* T. 1. p. 107. ed. Paris. 1638. (b) *V. Rudrauff. phi-*
los. Theol. p. 17. seqq. (c) *V. Alberti disp. de Phil. Christ. conf. Rudrauff.*
l. c. Museus introd. in Th. de dist. Th. &c. p. 88. (d) *V. Alberti l. c. §. 18.*
 (e) *Syst. tom. 1. p. 278.*

bis consent, à DEO patefacta, perfectiori & certiori cognitione apprehenduntur, illa primò intenditur à DEO, per revelationes, hac tantùm secundariò, & quatenus suo modo ad illam revocatur, &c. Ex quibus docente *Rudrauffio (f)*, non solum licentia fluit, adeundi, & consulendi Scripturam, sed & necessitas, oportet Philosophum hac ratione sibi consulere, & intentioni SPIRITUS S. in scripturis loquentis, sese conformare. Quotiescunque deest Philosopho evidens ratio, & in Scripturis infallibilis invenitur ejusdem rei probandæ assertio, non potest, quin defectum istum suppleat, & ex communi armamentario, quin ex communi officinâ, pro suâ quoque anxietate, petat medicinam, & solatium. *Quicumq; enim modus procedendi, & probandi, conformis est intentioni SPIRITUS S. & adducta majori certitudine, finem facit anxietatum, & dubitationum, ille tanquam salutaris, & honestus, nulli Philosophorum est interdicens. Sed ille modus, quò Philosophus suam notitiam perficit, divino revelationis robore, est talis.* Quodque institutum fuit *B. Dn. D. Alberti*, in disputatione, de Philosophiæ Christianæ existentia, & essentia (*g*). Quæ igitur ex *Lumine Naturæ* tanquam principio *Theologiæ Naturalis* docet *Philosophus*, illa ex Scriptura rectè confirmat quâ *Christianus*. Unde non pro abusu Scripturæ Sacræ habendum, quando Philosophus ad assertiones suas magis roborandas, utitur ejus testimonio; prout quidem censuit *Cartesius*, adstipulante *Wittichio*, ejusque mentem sic referente (*h*): *Tandem, etsi obligati simus, ad cavendum, ne nostra ratiocinia, nobis aliquam rem persuadeant, quæ sit contraria ei, quod DEUS voluit, ut crederemus, puto tamen nos applicare Scripturam Sacram, ad finem, propter quem DEUS eam non dedit, & per consequens, nos ea abuti, si inde velimus deducere cognitionem veritatum, quæ non pertinent, nisi ad scientias humanas, & quæ non inserviunt ad nostram salutem.* Ipsa *Cartesii (i)* verba hæc sunt: *Deniq; quamvis teneamur cavere, ne nostra nobis ratiocinia quicquam persuadeant, quod adversetur iis, quæ DEUS iussit nos credere; si quis tamen ex Scripturâ velit elicere, rerum ad scientias tantùm humanas pertinentium, & salutem nostram non spectantium, cognitionem, puto illum adhibere scripturam, ad finem,*

à DEI

(f) l. c. p. 20. (*g*) Anno 1686. habita. (*h*) in Theol. pacif. defens. p. 301
(i) epist. part. 2. epist. 100. p. 327.

à DEI sine diversum, atq; illâ proinde abuti. Quodnam verò Cartesianorum interesse sit, nemini facile erit ignotum.

QVÆSTIO III.

An Theologia Naturalis & Revelata, inter se pugnent, ita, ut quòd in hâc est verum, in illâ falsum sit, vel contra?

Principium Theologiæ Naturalis, *lumen naturæ*, verum esse, quippe exstructum ex eò, quod congruit cum mente Divinâ, hominibusque divinitus insitum, nemo in dubium vocare debet. Adeoque veritatem Philosophicam, cum veritate Theologicâ pugnare non posse, manifestum est. Ex uno enim fonte hoc, duo contraria fluere, absolum meritò censetur *Thome*. (a) Cavendum tamen est, ne hic Philosophia pro certâ quâdam sectâ, & scholarum regulis, ac definitionibus, simpliciter supponatur, cum veritas philosophica nobis dicatur, quæ lumine Naturæ, seu rectâ ratione nititur. Veritas verò ubicunque, & à quòcunque consideretur, semper consistit in conformitate cognitionis, aut orationis, cum objecto. Non enim alia ejus ratio formalis dari potest. Sicut autem una eademque cognitio, aut oratio, uni & eidem objecto, simul conformis, & non conformis esse non potest, ob contradictionem; ita nec falsa esse potest in Theologiâ revelatâ, quæ vera est in naturali; vel contra falsa, in naturali, quæ vera est in Revelata, ut rectè scribit *Museus*. (b) Quæcunque igitur revelata Theologia, sibi propria habet, e g. *mysterium Trinitatis, Generationem Filii DEI aternam à Patre, ejus incarnationem*, &c. ignota quidem rectè dicuntur in Theologiâ naturali, non verò falsa. Neque lumen naturæ docet: *unius essentia, unam tantum esse substantiam*, &c. Nisi in rebus creatis, & finitis, quæ per hoc, quod finita sunt, plurium substantiarum capaces non esse, dicuntur. (c) Ut sensus canonis istius sit: *unius create, & finite, essentia, non nisi una est substantia*. Sic quoque reliqua omnia, quæ in contrarium quondam attulit, *Dan. Hoffmannus* (d) ordinem, & legem natu-

A 3

tu-

(a) L. 1. contra Gent. c. 7. cit. *Meisner*. phil. S. P. 1. p. 525. (b) l. c. p. 32. (c) *Museus* l. c. *Huetius* de Concordia Rationis & Fidei p. 45. sq. (d) V. ap. *Grabber*. de unica veritate *Corn. Martini* Bernunft-Spiegel *Meisner*. l. c. *Zeisold*. tract. pec. *Calob.* de Theol. Nat. p. 181. Syst. T. 1. p. 67. *Hornej.* disp. Th. 4. §. 7. *Cellarius* Th. Nat. p. 9.

turæ, nec non causas secundas respiciunt, & ex inductione singularium naturalium sunt collecta. Illud tamen de *Hoffmanno* ne injurii in ipsum esse videamur, silendum non est, quod hanc ipsam suam sententiam, *pugnare Philosophiam & Theologiam inter se*, ipse publica revocatione rejecerit, ejusque declarationem, quæ ipsi per Reverendissimi, & Serenissimi Principis, ac Domini, *Domini Henrici Julii*, Postulati Episcopi Halberstadensis, Ducis Brunsvicensis, &c. decretum XVI. Februarii Anno M. DCI. publicatum, injuncta; & in Academia Julia, propria illius subscriptione, & sigillo, in forma patenti, publicè d. 9. Mart. affixa fuit, cum parum obvia sit, integram subjungimus: Cum præteritis annis ex præfatione illâ, quam sine consensu Reverendissimi, & Illustrissimi Principis, ac Domini Dn. Henrici Julii postulati Episcopi Halberstadensis, ac Ducis Brunsvicensis, & Lüneburgensis, &c. Domini mei Clementissimi, Thesis meis de DEO præmiseram, in quâ verba non nulla satis dura sic sonantia, posita erant: (Quantò verò magis excolitur ratio humana philosophicis studiis, tantò armatior prodit, & quo se ipsam amat impensius, eò Theologiam invadit atrocius, & errores pingit speciosius, unde Paulus ad Colos. 2. Philosophiam depradantem discipulos Apostolorum agnovit, & ad Galat. 5. inter opera carnis rejecit hæreses; quod primitiva Ecclesia per experientiam edocta sic explicavit, Philosophos esse hæreticorum Patriarchas) controversia inter facultatem philosophicam inclytæ Academiæ Julix, quæ est Helmstadii, & me esset orta; jam verò illa per decretum æquum, atque actis consentaneum 16. Februarii hujus anni publicatum, composita sit, mihi que injunctum, ut errorem illum meum nimium perstringendo Philosophiam, agnoscerem, & prædicta omnia me de abusu Philosophiæ, affectantis imperium in Theologiâ, intellexisse, declararem atque utilitatem & præstantiam Philosophiæ juventuti, ne ab illâ, per hæc in quibus modum excessi, deterreatur, publico scripto ostenderem: æquum, & pium erit, ut Principis optimi mandatis obtemperem. Ego igitur ductus exemplo Divi Augustini, & sancti illius viri Lutheri, & recordatus DEI Opt. Max. mandati, quod jubet in licitis neque conscientix repugnantibus Magistratum præceptis obedire, agnosco illum meum errorem, atque animum sic declaro: Verum, veriozem, & verissimum usum Philosophiæ, & illam

„illam Philosophiam, quæ in suo officio se continet, & intra termi-
„ nos manet, nullo modo, sed tantummodo eam, quæ abusu affe-
„ rat imperium in Theologiâ, & se commiscet cum Doctrinâ Eccle-
„ siæ, in iis quæ sunt Spiritus, damnandam, rejiciendam, & explo-
„ dendam esse, & illos quoque Philosophos, juxta Tertullianum, Pa-
„ triarchas hæreticorum esse dico, & cum Chemnitio sentio, qui Ec-
„ clesiæ puritatem doctrinâ suâ commacularunt, de aliis verò non
„ item. Quòd reliquum est, vos carissimos Adolescentes admonitos
„ volo, ut studiis philosophicis, sine contemptu tamen pietatis & reli-
„ gionis, diligenter incumbatis. Lumen enim vitæ, & seminarium,
„ ac flos Ecclesiæ DEI præcipuus Reipublicæque præsidium, &
„ deus singulare est Academia rectè constituta, quæ doctrinam de
„ verò DEO, & Redemptore nostro JESU CHRISTO, totius fidei, ac
„ vitæ Christianæ normam, & veræ consolationis, ac salutis æternæ fon-
„ tem purum & illibatum servat; & formam Eruditi Juris, ac legum,
„ quæ sunt radii sapientiæ & justitiæ divinæ, quibus Res publicæ, ju-
„ dicia, & privati hominum mores reguntur; & artem Medicam,
„ valetudini, ac vitæ hominum tuendæ servientem, custodit; & lin-
„ gvas, velut januas & claves, ad veræ religionis, ac doctrinæ cœlestis,
„ totiusque philosophiæ cognitionem aditum aperientes; & rectè
„ intelligendæ ac formandæ orationis, perspicuè, ac disertè res bonas
„ ac vitæ utiles exponentis facultatem; & cæteras artes honestas ad
„ rectè percipiendam, & aliis explicandam veræ religionis doctrinam
„ necessarias, fideliter tuetur, & ad posteritatem propagat. Sicut
„ contra neglectis scholis, & amissa literarum luce, plurima Eccle-
„ siæ, ac vitæ civilis ornamenta simul amitti, & magnas ac tristes te-
„ nebras, & confusiones religionum, ac superstitiones, & infinitam
„ barbariem morum, & omnium vitæ partium sequi videmus. Ac
„ ne potest quidem vera DEI notitia, & religio CHRISTI sincera si-
„ ne scholis, literarum & artium, ac lingvarum, quæ in scholis tradun-
„ tur, cognitione retineri, & vera ac incorrupta conservari. Hæc
„ gravissima causa omnes non Epicureos, sed statuentes verè tradi-
„ tam esse à DEO Ecclesiæ doctrinam, convincit, ut fateri cogantur,
„ etiam si aliæ gentes carere litteris, & scholis vellent, tamen Ecclesiæ
„ DEI prorsus necessarias esse, præsertim cum universus chorus do-
„ ctrinarum, quæ in scholis traduntur, & singulæ artes, ac lingvæ DEI
„ glo-

„ gloria, & religionis veræ explicationi, ac defensione, & utilitati Ec-
„ clesiae ferviant, ad quam juvanda, & provehenda omnes omni-
„ um hominum, ac præcipuè Gubernatorum studia, conatus & labores
„ directi esse debent. Nec ullum majus & pulchrius decus est Regno-
„ rum & Ducatum quàm cum summo Regi, Domino DEO & Re-
„ demtori nostro JESU CHRISTO piè serviunt, & veræ de DEO
„ doctrinæ, ac honestissimarum artium, quæ radii sapientiæ, & lucis di-
„ vinæ domicilia, & æternæ Ecclesiae, seu regni CHRISTI hospitia, &
„ & templa sunt. Itaque cum sine DEI gratiâ, auxilio, & benedictio-
„ ne nihil DEO gratum, Reipublicæ utile, & Ecclesiae salutare, à no-
„ bis suscipi, institui ac perfici possit, & summa ac preciosissima DEI
„ dona; & verè divina bona sint lux doctrinæ de DEO, sapientia ve-
„ ræ agnitionis CHRISTI, & omnes honestæ artes, quæ sunt radii sa-
„ pientiæ & lucis divinæ, gratam de DEO famam in genere huma-
„ no spargentes: Cumque studia doctrinæ cœlestis & optimarum
„ artium, quæ in academiis coluntur, à DEO ipso instituta & severis-
„ simè mandata, & gratissimum DEO sacrificium sint, ideo potissi-
„ mum colenda, ut DEO grata dicere, & DEO grata facere in propa-
„ gatione doctrinæ generi humano necessariæ, & salutaris in guber-
„ natione Ecclesiae, ac Reipublicæ, possimus: Idcirco DEUM fon-
„ tem sapientiæ & doctrinarum, omnes docentes & discipulos in Aca-
„ demiâ reverenter agnoscere, & DEO auctori tantorum bonorum
„ gratias agere eumque ardentibus votis assiduè precari debent, ut
„ hanc lucem Evangelii, ac honestarum artium à se in his regionibus,
„ & Academiâ Juliâ accensam, servet, & singulos discipulos & docen-
„ tes, ipse doceat, & gubernet. Radii enim lucis, & sapientiæ divi-
„ næ, & testimonia de DEO Conditore, cujus famam gratam in arti-
„ bus sonare Plato etiam scripsit, & præsidia vitæ privata, ac Reipu-
„ blicæ, multiplicia, & fontes bonorum, ac ornamentorum vitæ ci-
„ vilis præcipuorum, & adminicula Ecclesiae DEI, ad rectè intelligen-
„ dam, & propagandam veræ de DEO doctrinæ lucem, imprimis necessa-
„ ria sunt litteræ, lingvæ, & artes, quæ vim & naturam sermonis in li-
„ bro doctrinæ cœlestis & aliorum disertorum scriptis, rationem, rectè
„ de rebus judicandi, & differendi præcepta de moribus, naturam cœli,
„ stellarum, animantium, plantarum, animæ, & corporis humani, numeros,
„ figuras, anni rationem, & historias explicant, & illustrent, quas uno phi-
„ losophiæ, & *ἐγκυκλοπαιδείας* nomine usitatè complectimur. Orga-
num,

„ num, & manus quoque universæ philosophiæ, & mater omnium
 „ bonarum artium reliquarum, est dialectica, non solum viam, &
 „ rationem rectissimam, discendi, & docendi, omnes cæteras artes,
 „ & de singularum operibus judicandi ostendens, verum etiam fon-
 „ tes, & causas certitudinis reliquarum artium demonstrans, impri-
 „ mis verò Ecclesiæ DEI, ad doctrinam cœlestem, rectè, distinctè,
 „ justo ordine, & perspicuè docendam, & explicandam, & erro-
 „ res, corruptelas, veræ sententiæ, dextrè, & eruditè refutandas,
 „ prorsus necessaria est. Sicut gravissimis verbi divini testimoniis,
 „ ad Titum l. v. 2. ad Timotheum l. v. 2. 1. ad Tim. III. & cæteris, quæ
 „ rectè, & ordine doceri doctrinam de DEO, & contradicentes evi-
 „ denter confutare jubent, studium dialecticæ, Doctoribus præcipuè
 „ Ecclesiarum futuris præcipitur. Cum igitur universus chorus artium
 „ & linguarum, quæ in scholis traduntur, ad verbi divini, & veræ de
 „ Filio DEI doctrinæ illustrationem non solum præsidii multum, &
 „ adjumenti afferat, verum etiam planè necessariò flagitetur, vos Ado-
 „ lescentes Studiosi bonarum artium, cogitate, studia doctrinæ cœ-
 „ lestis, & aliarum artium, ac linguarum, quæ in Academiis colun-
 „ tur, à DEO ipso instituta esse, & severissimo DEI mandato præci-
 „ pi, & placere DEO hæc sua bona eximia, & gratam de DEI sapien-
 „ tia, & bonitate famam in artibus sparsam esse. Quæ quidem ideo
 „ potissimum discenda sint, ut DEO grata dicere, & DEO grata fa-
 „ cere, in propagatione necessariæ, & salutaris doctrinæ, & guber-
 „ natione Ecclesiæ, & Reipublicæ, possimus. Cum igitur hæc præ-
 „ dicta omnia non solum statutis Academiae, consentanea, sed &
 „ verba quoque ex ipsis deprompta sint, ea ascribere, & sic injunctæ
 „ mihi declarationi, in signum debitæ obedientiæ satisfacere volui,
 „ valete Henricopoli 7. Mart. Anno 1601. (e) Quæ Hoffmanni declara-
 „ tio, retinere Schillingium (f) non potuit, quò minus ejus vestigiis
 „ insistens, novos contra philosophiam ausus susciperet, quos una cum
 „ nonnullis aliis novus Autor libri, cui titulus: Divinum salvificæ stul-
 „ titiæ beneplacitum, continuavit, sed in eadem Helmstädiensi Acade-
 „ miâ, Exc. Niemeierus (g) Philosophus acutissimus excussit.

B

QUÆ-

(e) V. Grabber. l. c. sub fin. ed. 1618. (f) V. G. Arnold. H. E. P. 2 p. 484.
 (g) Disp. pec. Conf. Kortholt disp. pec. de rationis cum Rev. concursu.

QUÆSTIO IV.

An DEUS ex lumine Naturæ demonstrari possit?

Multum ab aliquô tempore, tam an demonstrari DEUS ex lumine Naturæ possit, quàm de modo DEUM demonstrandi optimo, inter Doctos disputatum fuit. Neque omnes unam, & eandem ingrediuntur viam. Singulari ratione, quâ tamen olim usus jam legitur *Anselmus* (a) alique Scholastici, incedit *Cartesius*, (b) qui probatâ per primum suum cognitum propriâ existentia, etiam ideam Entis Summi præter alias in nobis reperi, cujus ob excellentiam non nisi DEUS causa esse possit, confidenter asserit. (c) Sed uti advertit *B. D. Alberti* (d) hoc ipso obliquas ad atheismum vias aperire jam dudum visus est adversariis suis, (e) quia tam debilia pro existentia DEI argumenta exhibet. Nam ab idea, ad ideatum, N. V. C. quod vel in purgatorio Pontificiorum appareat; quod & imperfecta sit. Ut adeoque *frigidam* illam appellet ideam, *Petrus Poiretus* (f) suas multò meliores, quas vocat, vias existentia DEI demonstrandæ ex vi cogitandi vel percipiendi passiva, subjungens. Et *ludificationem* potius, quam argumentationem vocet *P. D. Huetius* (g). Equidem simplex termini apprehensio & idea ut talis nihil ponit in esse, sed sub mera hypothesis existentia intelligitur concepta, quo minus ex vi vocis vel ideæ DEUS, concludi possit, quod existat, nisi aliud fundamentum sub-

stru-

- (a) *V. Vasquez* Com. in Thomæ d. 10. c. 4. conf. *G. T. Meier* Th. Fid. p. 189.
 (b) *Cartesius* de suâ methodo sic loquitur, part. 2. epil. 103. p. 334. *compendiosissima, quam noverim si a respondendi rationibus, quas adversus divinitatem affert, & reliquis simul omnium Atheorum objectionibus hæc est, si nimirum inveniat eadem aliqua demonstratio, quæ apud omnes Fidem faciat DEUM esse. Quod ad me attinet, ausim dicere, me invenisse unam, quæ mihi penitus satisfaciat, & ex quâ certius scio, DEUM esse, quam geometricæ ullius propositionis veritatem; sed nescio, an possem efficere, ut illam eodem modo quilibet intelligat, ac ego, &c.* Et in Epistola ad S. Facultatem Parisiensem præmissa Meditationibus: *addamq; etiam tales esse (demonstrationes) ut non putem ullam siam humano ingenio patere, per quam meliores inveniri unquam possint.* Conf. *Le Grand* in præf. apol. pro *Cartesio.* *De Volder* de Atheis. *Wittich.* exerc. 1. de DEO. (c) *Medit.* 3. p. 22. & med 5. p. 36. &c (d) *disp. pec. c. 2. § 10. & disp. de gradibus Luminis naturæ, c. 4. §. 6.* (e) *V. ReB* Stat. p. 4. *Poiret* de methodo inveniendi verum, p. 152. (f) l. c. p. 150. & *L. cogitat. rational. de DEO, &c.* (g) in *Censura Ph. Cart.* c. 4. p. 58.

structum agnoscatur quo compellamur ad qualemcunque concipien-
dam ideam, sc. τὸ πρῶτον & νοῦν ἐννοεῖται sui rerumq; omnium causam
primam sistentes. Hinc graviter *Schomerus* (b): in omni animi affectu
,, Numinis nobis idea aliqua animo volvitur: omnis potentiae ad-
,, miratio ad summum aliquod perfectionis exemplar assurgit, vires
,, ingenii & corporis auctoritatem, felicitatem, ut umbras & apo-
,, spasmata intuemur supremæ alicujus & perfectissimæ excellentiæ,
,, quam cogitatione complectimur. Non putarim sane talem no-
,, bis ideam inde à nativitate formaliter expressam inhærere, uti ho-
,, die quidam philosophantur, arte nostra fieri illam facile consen-
,, tio, ita tamen, ut naturalem nobis omnibus illam propensionem,
,, esse fateri oporteat, quæ ad ejusmodi cogitationes propellit. Un-
de optima, cui, quæ cum veritate afferuntur, innituntur omnia, ra-
tio, & demonstrandi vim habens, manebit, simplicior illa atque
planior, cujus momenta sumuntur ex innata inevitabili ad Numinis
agnitionem propensione, sensu interno, ac propria advertentia; ex
naturali omnium gentium inclinatione & ad religionem instinctu; na-
turalis item legis (quæ arguit Legislatorem) observatione nec non
spontanea conscientiæ sceleratorum expavescentia; Sic in summis an-
goribus ad supremum aliquod Numinis auxilium precibus, ejulatibus
votis recurritur, à Judice aliquo occulto, supremo, bono, justo spes
subita etiam desperatis, metus protervis ingeniis oboritur. Erigit in
adversis & angit in media felicitate sapius conscientia factorum hone-
storum vel turpium, ut pro via, quam quisque se novit institisse, ab
altissima occultaque providentia gratiam vel vindictam expectet.
Etiam ut agas, quod nolis, pungit frequenter obligationis internæ
sensus, & secretus pudor retrahit impetum cupiditatis; aut si quis sibi
ipsi indulget, aliorum tamen mores non potest quin tali censura no-
tet. Ex mundi & omnium quæ in eo sunt & fiunt contemplatione, eo-
rumque ordine, structura, habitudine & conditione; quæ suum pri-
mum Autorem, Conservatorem, & admirabilem Gubernatorem ar-
guunt, & innatam menti notitiam illustriore lumine perfundunt. (i)
Ex horum omnium sensu, atque consensu inter omnes populos, adeo
firma habetur DEI notitia, ut inde dicantur, ipsius *Apostoli* effato,

B 2

diva-

(b) Th. Mor. c. 6. §. 3. Sed de Cartesio in utramque partem legi possunt an-
notati Auctores ap. *Hartnacc.* in *Contin H. E.* p. 1254. *Sagittar.* *Introd.* in
H. E. p. 906. *Sluter.* in *Propyl. H. C.* p. 206. &c nobis animus non est cram-
ben sæpius coctam hic apponere. (i) *Schomer. l. c.*

ἐναπολόγησι gentes quæcunque. Nolumus autem hæc, cum passim obvia sint, (k) prosequi pluribus, vel testimonia gentilium huc pertinentia, (l) apponere. Obiter tantum notamus, testimonium *Ciceronis*, ex L. I. de naturâ Deorum. *Quæ est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrinâ anticipationem quandam Deorum?* Auctoribus pluribus (m) frequentatum, minus videri accommodum aliis, quod verba istic proferantur, sub nomine *Philosophi Epicurei*, qui per anticipationem illam, non nisi vulgi opinionem intelligebat, eaque anticipationem, non nisi speciem humanam Deorum nos habere ex somniis, & phantasmatibus desumptam docuerunt, eademque sententia in eodem loco *Ciceronis* refutetur, quod & integræ gentes, & *Philosophi* dissentiant, & nihil sapere vulgare sit. Magis verò arrideat *Tullii* locus, ex L. I. de legibus: *Nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere DEUM deceat, tamen habendum, sciat.* (n) Concludemus hanc quæstionem, verbis *S. Augustini*: (o) *Sapientes gentium, quos Philosophos dicunt, ipsos qui in eis excellentissimi fuerunt, scrutatos fuisse naturam, & de operibus artificem cognovisse. Prophetas non audierunt, legem DEI non acceperunt: Sed eis Deus quodam modo silens, ipsius mundi operibus loquebatur, & eos ad quærendum artificem rerum, mundi species invitabat: Nec potuerunt in animum inducere, cælum, & terram, sine auctore constare.*

QUÆ-

(k) Vid. *Donat.* disp. de Theologia naturali. Conf. allegatos apud *Slüterum*, in propylæo H. C. p. 200. Add. *Schomer.* l. c. *Rudrauff* Theol. Phil. p. 37. specialiori ratione demonstrandi DEUM, usi sunt *Poiret*, l. c. item *Donati* disp. pec. in quâ ex manu convincere Atheos voluit, & ex oculo *Sturmius*, in Phil. eclect. p. 453. (l) *Hildebrand.* pec. §. 19. *Donati* l. c. (m) *V. Calob.* Theol. Nat. & Rev. p. 66. *Comp. Theol.* §. 147. *Donat.* l. c. §. 7. (n) *V. Schomer.* l. c. ad *Calov.* §. 146. (o) *Serm.* 241. de tempore p. 1003. edit. Paris. 1683.

QVÆSTIO V.

An propositio: DEUS existit; sit per se nota?

Hæc quæstio, pro variâ acceptione ejus, quod *per se notum* dicitur, à variis, vel affirmatur, vel negatur. Olim jam tum inter se hæc de

de re certarunt, *Scotista* negantes, & *Thomista* affirmantes, cum hac tamen limitatione, quod sit propositio per se nota, *secundum se*, non secundum nos (a) quos secutus quoque videtur *Hornejus* (b), sed *Scotista* animadverterunt, notum esse, dici non nisi in respectu ad cognoscentem, nimirum hominem, de quô hic, atque alias, cum terminus absolutè ponitur, sermo est. (c) Definitur autem propositio per se nota, vel *negativè*; *quæ careat medio probandi à priori*; quæ tamen definitio latior esse videtur, nec vel ipsi Scholastici, illas omnes propositiones, quæ careant medio probandi à priori, v. g. DEUM esse Trinum; pro per se notis habent. Vel *positivè*; *quæ viribus nature ex vi abstractiva terminorum sit cognoscibilis*; juxta quam definitionem vel simpliciter negandum est, propositionem hanc esse per se notam, vel cum latitudine quâdam accipienda illa est definitio, prout termini rite perspecti sunt eo modo quo à nobis percipi solent; vel alia substituenda, quod sit propositio per se nota, *quæ nullo indiget probandi medio, seu cujus probationem non aliunde quam à suo quisque intelligendi usu & experimento petere debet*; aut prout *Donati* (d) definit: *De cujus veritate nobis etiam citra discursum illationemque ex aliâ propositione, undecunque constat*; & juxta hanc affirmat, esse propositionem per se notam, & ex ipsa naturali DEI notitia insita, probat. Quodque unus quisque propriâ habeat experienciâ comperitum, quotiescunque mente volvat hanc propositionem, illico sese citra omnem antegressum discursum, ex sola naturali mentis propensione, ac immediata quasi advertentia, ad eam amplectendam rapi, deque illius veritate, minimè omnium dubitandum censere. Neque ullius momenti sunt, quæ à Pontificiis (e) in contrarium urgeri solent, e. g. quando nullum dubitabile esse per se notum, dicunt, omnique demonstrabile pro dubitabili habent. Siquidem tò DEUM esse,

B 3

ob

(a) V. *Raynaudus* T. 5. Op. p. 106. (b) P. 1. disp. Theol. p. 234. Conf. *Calob.* T. 2. Syst. p. 86. *J. A. Osiander* coll. Syst. part. 1. p. 231. (c) V. *Donati* in *Pneumat.* p. 59. (d) *Disp.* cit. §. 46. 47. & in *Pneumat.* p. 59. ubi falsum, & insulsum pronuntiat, dicere, propositionem per se notam tantum secundum se. (e) V. ap. *Raynaudum* l. c. qui una cum *Berkenne* de Deo uno Trino d. 1. c. 1. §. 1. p. 1. *Francisco Amico* *Curs. Th.* p. 1. disp. 2. *Cardinali Cameracensi* ap. *Altenstaig* in *Lex. Th.* sub voce *notum*, aliisque magno numero apud *Dorscheum* p. 2. *Th. Zach.* p. 233. allegatis Thomæ sententiam amplectitur. Neque tamen desunt inter Pontificios qui nobiscum sentiant V. ap. *Raynaudum* l. c. *Dorscheum* l. c. &c.

ob suam inevidentiam, non demonstratur. Neque dubitabile est, nisi subjecto corrupto. Nec obstat, quod aliqui inventi fuerunt, qui existentiam DEI, vel ignorarunt, vel planè negarunt, vel de eà dubitarunt. Nam & id citra affectationem, remorsum conscientiaë, & reclamationem manifestæ veritatis factum non est.

QVÆSTIO VI.

Quisnam primus proprius, & contrahens, summi Numinis conceptus sit?

Conceptus à concipiendo dictus, est vel *formalis*, scilicet imago intellectui inhærens, eique objectum idealiter repræsentans; vel *objectivus*, estque ipsa res, quæ intellectui per conceptum formalem objicitur. (a) Quo jam pertineat conceptus contrahens, (qui alias proprius, & primus dicitur, non ratione ordinis cognoscendi, nec ratione causalitatis, sed ratione modi inferendi,) disquirunt Philosophi. Et alii ad *formalem* referri posse, simpliciter negant; alii non *objectivum*, & à parte rei ipsius, sed formalem tantum, & quoad nostrum concipiendi modum, esse, adstruunt. (b) Unde & *Slevogtus* vapulat *M. G. Meiero*, (c) & hic iterum *M. C. Weidlingio* (d) ob injuriam *Slevogto* factam; Ut vero planius constet, quis proprius DEI conceptus sit, breviter requisita conceptus proprii, in quibus conveniunt plerique omnes, recensibimus. Et requiritur. (1) Ut essentia per hunc conceptum, in esse suo proprio constituatur per se primo & secundum rationem formalem. (2) Ut ex alio, quoad nostrum cognoscendi modum priori non possit derivari. (3) Ut eo ipso ab omnibus aliis rebus res adæquatè distingvatur. (4) Ut sit radix, cæterorum attributorum omnium. (e) Quæ omnia omnium optimè sustinet in DEO *independentia*, quæ absoluta hic, & simpliciter talis, tam ratione essentiaë, quàm operationum divinarum, excludit omnem causam superiorem producentem, sive interna sit, sive externa; & rationem positivam, quod & alibi sit in aliis, includit.

(a) *V. Schertzer*. Brev. Eustach. p. 497. (b) *V. Tieleke* disp. pec. q. 1. §. 2. *Weidling* disp. de Independentia §. 3. (c) *Pneumat.* c. 2. f. 3. prob. 4. p. 302. (d) in disp. cit. §. 3. (e) conf. *Mayer*, l. c. p. 285. *Zeisold*, *Pneumat.* p. 47. *Slevogt*. disp. *Academ.* p. 284. *Poseßnitz* Th. Schol. p. 64. *Calob.* Syst. T. 2. p. 216. &c.

dit. Illa enim primò, ac immediatè sese offert menti, quando DEUM concipimus; nihil habet se, nostro concipiendi modo, prius; DEUM ab omnibus rebus aliis, quæ omnes per dependentiam in esse creaturæ constituuntur, distinguit adæquatè; estque fons, ac origo reliquorum attributorum omnium, & ratio à priori, cur illa omnia DEO insint. (f) Quin ipsa *infinitas*, pro quâ alias cum multâ probabilitate pugnant viri Docti, *ex independentia*, his ipsis elicitur, (g) ut adeoque vel ob hanc rationem, independentia pro conceptu primo habenda sit, & hæc alteri sententiæ, quæ pro infinitate pugnat, præferenda. (h) Quæ verò vel pro *vita*, vel pro *simplicitate*, vel pro *intellectu*, vel pro *esse simpliciter*, & *esse à se*, &c. afferuntur, aut reducuntur ultimato ad *independentiam*, aut parum efficiunt. (i) Frustra verò obicitur *independentiam* non posse tribui omnibus tribus S. S. Trinitatis personis, cum Filius à Patre, & Spiritus S. à Patre & Filio, dependeat. Constat enim inter accuratiores omnes, Philosophico sensu, nullam esse *dependentiam in Divinis*, & non nisi abusivè nonnullos hæc phrasi usos esse, à quâ potius sit abstinendum. (k) Neque plus efficitur eo, quod *independentia* reperitur in singulis Divinis prædicatis, quæ tamen semper debeant radici, atque principio suo contradistingvi: Scilicet scientia DEI sit independens, sapientia, potentia, &c. Siquidem reperitur, ob identitatem realem, in singulis *realiter*, non verò *formaliter*, & sufficit, quod semper contradistingvantur *formaliter*. (l)

QVÆ-

(f) V. Rudrauff. Phil. Th. p. 51. tract. Philos. Th. II. p. 140. J. A. Osiander Coll. Syst. p. 1. p. 261. Fechtius, noct. Christ. p. 318 Baier Th. pos. p. 192. Ebel. Op. Ph. p. 1209. Donat. Pneumat. p. 137. & 149. G. Meier Metaph. Usual. p. 268. (g) Sic Jacob. Martin. Quæst. Metaph. L. 2. p. 38. concludimus igitur, DEUM esse Ens infinitum, quia est Ens, à nullo dependens. Conf. pag. 687. Scharffius metaph. p. 145. Infinitum Ens est, quod caret finibus, seu termino essentiae, h. e. infinitum dicitur id, quod est extra finiri ab alio, propterea, quod à nullo alio habeat dependentiam, sicque à nullo alio est. Eadem habet Scheibler. Metaph. l. 2. c. 3. p. 71. Klotz Th. Nat. p. 593. Et huc quoq; pertinent quæ Calobius T. 2. Syst. p. 183. contra Socinum differit. (h) V. all. sub lit. f. (i) V. ap. Raynaudum T. 5. op. p. 221 Weidling. disp. cit. (k) V. Calob. op. Phil. p. 275. & 426. (l) Conf. Rudrauff. Phil. Th. p. 51.

QUÆSTIO VII.

An ex natura certum sit DEUM esse unum?

Unum quidem non uno modo dicitur. Dicitur unum (1) unum *τῷ γένει* seu *genere*, (2) *τῷ ἔδει* seu *specie*, (3) *τῷ ἀριθμῷ*, seu *numero*. (a) Licet verò singularissimo modo & unissima unitate, sicuti loquitur *Lutherus*, DEUM esse unum agnoscamus, unum tamen & esse *numero* (b); (non prædicamentali & quantitativo, sed transcendentali,) ex natura quoque certum esse, negandum non est. Illo modo DEUM esse unum, asserit *Aristoteles*, (c) cujus hæc sunt verba: Ἐν μὲν ἄρα καὶ λόγῳ, καὶ ἀριθμῷ, τὸ πρῶτον κινῆν ἀκίνητον ὄν; καὶ τὸ κινῆμενον ἄρα αἰεὶ καὶ συνεχῶς ἐν μόνον. Εἰς ἄρα θεῶν μόνος. Et passim alibi pluribus *æternum movens* seu *primum Motorem* esse unum inculcat. (d) Eademque argumenta, quæ *DEUM esse* docent, docere etiam *DEUM esse unum* ostendit *B. Schomerus*. (e) Sic inquiring: argumenta hæc eadem quæ DEUM esse docent, docent etiam „esse unum, neque primum rerum principium, aut summum arbitrium mente volvimus, quin à pluribus principiis & summis Rectoribus naturaliter abhorreamus. Ipsi Gentiles *πολύθεοι* de origine & poli-

(a) *V. Stalius*, tab. metaph. 14. *Cellarius*, Th. Nat. p. 106.

(b) *Schertzerus*, syst. p. 38. Equidem ex Patribus sunt, qui negant DEUM esse unum numero, quorum verba affert *Raynaudus* T. 5. op. p. 366. & vindicat, eosque locutos esse de numero quantitativo quoque observat *Alberti* disp. de Unitate DEI § 16. Conf. *Calob.* Crit. S. p. 526, & passim alios; scilicet volunt Patres, Deum non habere Unitatem numericam, qua possit in numerum venire cum aliis, similem cum ipso naturam participantibus individuis.

(c) XII. metaph. c. 8. Aristotelis sententiam de *Primo Motore* inter alios examinavit *J. de Raci* in *Clav. P. N.* p. 199.

(d) L. 8. phys. c. 6. p. 258. &c. *Philosophus*, L. de Mundo, c. 7. p. 378. *Seneca*, L. 4. de benefic. c. 7. Memorabilia quoque sunt, quæ *Maximus Maderensis* Grammaticus, homo Ethnicus, suo, aliorumque Gentilium nomine, scripsit ad Augustinum, epist. 43. *equidem unum esse DEUM Summum, atque Magnificum, quis tam demens, tam mente captus, neget esse certissimum.*

(e) Th. Moral. D. 6. § 6.

„ politica Deorum fabulati, suo exemplo docuerunt, quam ad unam
 „ communem causam, atque providentiam agnoscendam, occulta
 „ illa naturæ vis animos trahat. Quippe infinita summa, prima, per-
 „ fectissima qui credit, nihil summum, primum, aut perfectissimum
 „ credit: qui verò certo numero illa definit, locum relinquit naturali
 „ quæstioni, de causa ipsius numeri, anteriore, & communi. Atque
 „ inde quod DEUS ens primum, & omnium rerum causa sit, etiam
 „ reliqua DEI attributa, ratione facillima, eliciuntur: Si primus prin-
 „ cipia sui non habet, & sic non compositus, sed simplex est, per se
 „ ipsum, & semper existit, dum nullam existentiaæ suæ causam habet,
 „ & sic æternus est, neque perit, quia nec extra illum, quod omnia
 „ ab illo pendeant, nec intra illum, quia simplex est, quicquam est
 „ dabile, quod ipsum destruat. Si primus est, perfectissimus est,
 „ quia omnis ab illo perfectio pendet. Et sic quoque ipsum spatium,
 „ quò, cum superari nequeat, in nullo conclusus, & sic immensus
 „ est, (f) &c. B. Schomero jungimus *Fechtium*, (g) alterum in eadem
 „ Academia Rostochiensis, Theologum Celeberrimum, sic loquen-
 „ tem: unitas DEI, ex ratione tam manifestè constat, ut saniores
 „ etiam Gentiles, agnoverint contradictionem implicare, si dicantur,
 „ plura dari, quàm unum independens, unum infinitum, unum
 „ omnipotens, unum simpliciter perfectum. Si enim concipias plu-
 „ ra infinita, & perfecta, tum unum eorum non habebit omnem per-
 „ fectionem, quia non habebit eam, quam habet alterum; & per-
 „ consequens non erit DEUS. Ne ex Scholasticis, & Gentilibus pro
 „ unitate DEI argumenta & testimonia huc prolixè congeramus. (h)
 „ Unde & B. Hülsemanni (i) verba, quibus DEUM esse unum ex lumi-
 „ ne nature incertum asseruisse, Th. Reinesio (k) arguitur, juxta B.

C

Auto-

(f) Idem in Calov. comp. Th. Posit. § 145.

(g) Noct. Christ. p. 520

(h) V. ap. Raynaudum T. 5. op. 344. sq. Huetium de Concord. R. & F. p. 107. Hildebrand. disp. cit. § 26. sq. ubi & inquiritur in rationes politicas ob quas Sapientiores sententiam de uno DEO Vulgus celârunt. Conf. Hanneken. d. de objecto adorationis quæst. 2. it. Raynaud. l. c. p. 351. Voigt. de Trin. p. 11.

(i) Breviar. p. 5.

(k) in ep. 7. ad Joh. Vorstium, p. 24.

Autoris mentem, explicare, ex laudabili erga Præceptorem Theologum solidissimum affectu, studuit *B. Schertzerus*, (l) Præceptorem suum superasse propemodum visus *B. Dno. Alberti*, (m) qui & ipse incomparabilis Theologus de singularissimâ unitate, Trinitatem Personarum includente Hülsemannum esse locutum, monuit, (n) & meliori jure notavit *H. Grotium*, [o] quod DEO plures uno non esse, notionem non æquè evidentem, dixerit, ac DEUM esse; cum eadem viâ, ex ratione probetur, & tantum per accidens fiat, & culpa hominum quod non semper agnoscant, DEUM esse unum.

(l) Brev. enucl. p. 94. (m) V. præfat. ad Breviar. Theol. Hülsem. (n) in disp. cit. § 13. (o) L. 2. de J. B. & P. c. 20. p. 343.

Theosophiæ sacris operans bene quæris, amice,
Quid naturalis Theiologia fiet.

gratulab. scripsit
D. Joh. Schmidius, P. P.

Lamina non terræ; nec magna scientia prodest
Ni placitum nostrum docta caterva sciat.
Quid juvat occultum teneat si cista metallum?
Et quid si doctus clam sua facta ferat?
Si quis Virtuti verè favet & fovet artes
Conando Lætam spem facit usque sui.
Hinc quoque mi Baumart nobis tua cura probatur
Hæc dum profectus optima scripta probant.
Docti quid valeant humeri perferre docentur,
Ex quo discendi pectoris ardor adest.
Gratulor; affectus nostri sit tessera votum,
In magnos titulos ut tibi surgat opus.

Pereximio & Doctissimo Dn. Respondenti Conterra-
neo meo Dilectissimo, Auditori diligenti, qui in
Collegiis Theologicis hætenus ab ore meo pepen-
dit, cum sub Claro Præside Cathedram strenue dis-
putando decenter ornaret, paucis hisce lineolis
animitus gratulari volui, debui

M. Joh. Günther, Diac. ad D. Nicol.

✠ (o) ✠

Coll. diss. A 94, weise, 55